

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiæ Lipsiensis Sacra Paschalia Ritu Solenni Nec Non Pie Ac Devote Celebranda Intimat

Fleischer, Christoph

[Leipzig], [1705?]

VD18 90816722

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200607)



1. Progr. Cipp. natal. it. len.
2. Progr. Lipp. pulch. it. len. it. Erfurt.
3. — — Pentec. it. Witt.
4. Hardthura Helmst.
5. Hebreæ de æra nativ. Christi
6. Bel Hist. lingua Ungar.
7. Reimnitz Postscriptum



61. C. 2

61 C 2

241
22

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
SACRA
PASCHALIA
RITU SOLENNI
NEC NON PIE AC DEVOTE
CELEBRANDA
INTIMAT.

622
155

RECTOR
ACADEMIE LIPSIENTIS
SACRA
PASCHALLIA
RITU SOLENNI
NEC NON RITE AC DEVOTE
CELEBRANDA
INTIMAT



Ere a mortuis resurrexissē **JESUM CHRIS-**
STUM, Articulus fidei fundamentalissimus
 & creditu ad salutem summe necessarius est,
 quem omnes & credere ac profiteri tenentur
 Christiani, hortante inter alios Apostolo: (a) *Memor esto, Dominum JESUM resurrexisse*
a mortuis! At enim vero, *nil tibi proderit*
CHRISTI Resurrectio, ejusque veritas, tot tan-
 tisque corroborata testibus, (b) *nisi in te quoque*
CHRISTUS resurgat & vivat: Sicuti CHRISTUM oportet in nobis
concipi, nasci; ita quoque oportet eum in nobis resurgere ac vivere. (c) Si-
 quidem non est pars corporis mystici, in quo **CHRISTUS** non vivit ac
 resurgit. Bene Lutherus: (d) Christus ait, *Ego sum via, veritas, &*
VITA. Non dicit, *Ego do tibi viam, veritatem, & VITAM*, quasi
 extra me positus operetur in me talia. *In me debet esse, manere, VIVERE,*
loqui mecum. Præclare hanc in rem scribit Augustinus: (e) *Quicquid*
gestum est in cruce Christi, in sepultura, in RESURRECTIONE ter-
tia die, in ascensione ad cælum, & sede ad dextram Patris, ita gestum est,
ut iis rebus, non tantum mystice dictis sed etiam gestis, configuraretur vita Chri-
stiana, quæ hic geritur. Nam propter ejus *Crucem dictum est: qui Jesu*
Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis: Pro-
pter Sepulturam: Consepulti sumus cum Christo per Baptismum in mor-
tem. Propter Resurrectionem: ut quemadmodum Christus resurrexit
ex mortuis; ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Propter Ascensio-
nem, Sedemque ad dexteram Patris: Si consurrexistis cum Christo, quæ
sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dextram Dei sedens: quæ sur-
 sum

A 2

(a) 2. Tim. II, 8. (b) 1. Corinth. XV, 4. 5. 6. 7. 8. (c) Verba sunt Gerhardi Me-
 dit. LI. de Spirituali Pior. Resurr. f. 360. Vid. infra locum insignem Lutheri in
 Posill. Eccles. (d) In Consil. Theol. Phil. Melanchthonis f. 246. 247. (e) In
 Enchir. c. LIII.

155

sum sunt sapite, non quæ super terram. Nos missis fidei Christianæ articulis reliquis, ab Augustino hic juxta ductum Pauli (f) ad vitam Christianam mystice applicatis ac declaratis, tempori servientes VITAM CHRISTI IN NOBIS jam paulo curatius expendemus. Memorabile inprimis, huc spectans, Apostoli dictum est, quod extat in Epistola ad Colossenses: (g) *Mortui estis* (sc. Diabolo, Mundo, Peccato, Vobis ipsis) & *Vita vestra abscondita est cum DEO in Christo*. Cujus sententiæ singula verba efficacia sunt ad excellentiam & perennitatem hujus vitæ comprobendam. VITA (ἡ Ζωή) sanctam & beatam fidelium ἐνσπγγελαν designat, ex communicatione Spiritus Christi resultantem, cujus initium, in hoc ævo est, complementum in futuro. Hæc Vita abscondita est primo FIDELIBUS IPSIS, qui non omnem ejus rationem assequuntur, uti nunc in iis operatur CHRISTUS: & magis adhuc ignorant inexplicabilem illam cognitionem, sanctitatem istam perfectam, illum amorem inconcussam, incredibilem illam lætitiā: *quæ parata sunt, ut revelentur tempore ultimo*. (h) Deinde MUNDO. Nam uti CHRISTUS, qui nostra vita est, non conspicitur a mundo; ita quomodo nos vivamus in Christo, & CHRISTUS in Nobis, Mundus non cognoscit: Sed hæc Christianismi nostri mysteria pro melancholicis deliramentis habet. Tertio DIABOLO, cui ea ad lethiferos ictus & victoriam nequaquam patet. Potentior enim CHRISTUS, qui EST IN NOBIS, quam Diabolus, qui in mundo est. (i) Vita Filiorum Dei, tanquam thesaurus preciosissimus, in loco recondito est reposita, unde furari eam nulla vi vel arte Spiritus nequam potest. Porro Vita hæc recondita esse dicitur cum CHRISTO, cui ejus cura & custodia commissa est, & qui θησαυρός ἐστὶν depositum sibi concreditum, custodire in illum diem. (k) Quemadmodum ergo Christus, licet mundo invisibilis, ad dextram Dei sedet ac vere revelabitur; ita etiam vita nostra apud Christum est, ac vere nobis servatur ad pleniorē revelationem. Denique recondita eadem Vita in DEO, hoc est in decreto Dei & amore ejus continetur, qui suo tempore manifestum faciet, ad quid dilexerit nos in Christo. Ipse sinus Dei, sanctissimum illud ararium est, in quo thesaurus iste asservatur. Vita illa profluit ex vita CHRISTI ex morte resuscitati: *Vivo autem*, inquit Apostolus, (l) *non amplius Ego: Sed*

VIVIT

(f) Rom. VI, 4. Coloss. III, 1. 2. (g) Cap. III, 3. (h) 1. Pet. I, 5. 1. Job. III, 2. (i) 1. Job. IV, 4. (k) 2. Tim. I, 12. (l) Gal. II, 20.

VIVIT IN ME CHRISTUS! Vivit enim Christus post mortem suam, non modo in gloria apud Patrem, sicut ipse dicit: (m) *Ego sum qui vivo, & fui mortuus, & ecce vivo in secula seculorum!* sed & in fidelibus & Electis suis mystice cum ipsis unitus. Spiritus vitæ in ipso, ut in fonte residens, profluit inde in suos, & in iis ejusdem gloriose vitæ, sed suis quibusdam gradibus perficiendæ, auctor est. Ipse & mortem abolevit, & vitam ac incorruptibilitatem in lucem produxit per Evangelium. (n) Unde a sua vita ad nostram argumentatur: *quia Ego vivo, vos etiam vivetis.* (o) Alia ergo est hæc vita Christi in nobis, a vita Adamo integro per creationem implantata: licet hæc etiam sancta & a Spiritu Dei esset. Ea enim ipsi data erat ad explorationem constantiæ, ideoque erat amissibilis. Nam in illo statu homo sibi ipsi relinquebatur, neque ullum promissum de continua Spiritus inhabitatione indeptus erat, qualem promissionem fideles electos nunc habere certum est; (p) Sed, probata demum constantia, confirmatio in Vita Sancta & beata expectanda erat: qualis obtigit beatis Angelis. In Fidelibus autem **Vita CHRISTI** est fructus satisfactionis & meritorum ejus, & idcirco perennis ac æterna esse debet, ne operæ suæ pretium amittat. Et conferenda est, quoad perennitatem suam, non cum vita Adami in statu explorationis constituti; sed cum ea vita, quam obtenturus erat, si explorationis suæ curriculum feliciter absolvisset. Alibi hæc Vita vocatur *Radix insita*: (q) *Unctio manens*: (r) *Semen immanens*: (s) & *Fons aquæ salientis in vitam æternam.* (t) **PARTICIPES** hujus vitæ non evadunt alii, nisi qui fide justificati vitam inchoant Deo placentem, & communionem cum cruce Christi habent: *Ego enim*, Apostolus ait, *per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam: una cum CHRISTO crucifixus sum.* (u) *Mori* dicimur *legi*, cum de justitia legis desperamus, nullamque in operibus legis salutem quærimus: id quod alibi vocat, *non sub lege esse, sed sub gratia.* (x) *Moritur* autem quis *legi per legem*, quia ex lege est agnitio peccati ac nostræ *adversitatis*, quæ obstat, quo minus legem, ut decebat, implere ipsique satisfacere queamus: Unde nihil aliud, quam terror conscientiae sequi potest, quæ hominem legi renunciare ac alibi quæ,

A 3

(m) *Apoc. I, 18.* (n) *1. Tim. I, 10.* (o) *Job. XIV, 29.* (p) *2. Job. II, 3. 1. Cor. I, 8. Phil. I, 6. Rom. IIX, 29. 30. Job. X, 21. Matth. XXIV, 24.* (q) *Matth. XIII, 21.* (r) *1. Job. II, 27.* (s) *1. Job. III, 9.* (t) *Job. IV, 14.* (u) *Gal. II, 19.* (x) *Rom. VI, 16.*

querere jubet iustitiam. Dum ergo sic homo legi mortuus, & fide iustificatus est, etiam *peccato mortuus est*, ac *DEO vivit*. Morimur autem peccato tum per *Iustificationem*, quatenus peccatum, propter Christi meritum fide apprehensum, nobis remissum non amplius coram Dei iudicio nos accusat; tum per *Renovationem*, quatenus renati peccatum in carne sua mortificant, ejus vim ac impetum per Spiritum S. reprimunt, ne in illis dominetur & vivat: *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo.* (y) Christus nostri causa, propter peccatum mortuus est: quod vero nostri causa fecit, nos *in ipso* fecimus, & sic *cum illo* peccatis mortui sumus. Cur ergo denuo ad peccata converteremur, iisque de novo serviremus? Sicut is, qui vere mortuus est, deposuit peccatum, neque cogi a peccato potest, ut ei serviat; ita qui mortuus est peccato, iustificatus etiam ab eo est, ut nihil contra eum proficere possit. Paulinum hoc expressurus Petrus (z) Christum non solum ideo in cruce mortuum scribit, *ut peccata nostra expiaret, eorumque condonationem nobis impetraret*: quod beneficium ad regenerationem & iustificationem pertinet; sed etiam *ut peccatum in nobis mortificaret, & ad vitam iustitiae & sanctae conversationis nos reformaret*: quod sanctificationem ac renovationem concernit. Repetit etiam principalem propositionem, quia *per Christum, & in Christo sumus peccatis mortui*, i. e. a peccatorum reatu ac dominio liberati, in posterum nihil commercii cum peccatis habemus, sed iustitiae vivimus, h. e. opera iustitiae exercemus. *Cum Christo vero cruci affigi dicimur*, quando iustificati per fidem in Christum *pro nobis* crucifixum credimus. Ipse crucifixus non sui, sed alieni peccati causa fuit: *quod mortuus est, peccato mortuus*, (aa) per iustificationem quoad reatum; & sanctificationem quoad dominium, illud abeundo. Nos vero tam arcte per fidem unimur Christo crucifixo, tam certum plene fructum & efficaciam crucifixionis ejus percipimus, ac si cum ipso in propria persona de cruce pependissemus. Hinc S. Ignatius Epistola ad Roman. *Amor*, inquit, *meus crucifixus est!* Christus nempe, qui est amor meus, vita mea, anima mea, ita crucifixus est, ut cum Christo amor meus, anima mea simul, ipseque ego totus quasi crucifixus sim. Infert enim ligno crucis Christi, & quasi complantati succum gratiae ex hoc ligno sugimus: unde in nobis fructus non modo iustificationis, sed & sanctificationis nascitur. *Chirographo nobis adverso cruci affixo*, (bb) soluti

(y) Rom. VI, 2. (z) 1. Ep. II, 24. (aa) Rom. VI, 10. (bb) Col. II, 14.

luti sumus a peccatis, DEO, ob Filii unigeniti crucem fide apprehensam, peccata nobis condonante: ac virtute crucis hujus *vetus noster homo crucifigitur, ut enervetur corpus peccati, ne posthac serviamus peccato.* (cc) Ad hanc mortem & crucifixionem spirituales necessario VITA sequitur SPIRITUALIS. Nam carne crucifixa & mortificata, reviviscit Spiritus, ut in posterum, juxta ea quæ jam porro tradit Apostolus, DEO, *nec amplius nobis vivamus, sed CHRISTUS IN NOBIS VIVAT.* Deo vivere alias est actiones suas instituere ad Dei gloriam, Deo servire, non suis cupiditatibus, non mundo, non Diabolo. Sed ea significatio hic primo non intenditur, cum Dativus non solum *finem*, sed & *causam efficientem* notet: (dd) adeoque revera hoc tantundem sit, ac si dixisset: *ut habeam vitam novam a Deo, & coram Deo vivus sim: qui per mortem Christi* (ut loquitur Chrysostomus) *vitam spirituales mihi donavit.* Scite Lutherus: *Mori lege est vivere DEO. Est autem vivere DEO justificari per gratiam propter CHRISTUM* (qui in me vivit ac vitæ meæ spiritualis auctor est, sicut caput est causa vitæ membrorum) *sine lege & sine operibus.* Nimirum Homo, quando nascitur ex parentibus suis, nascitur in peccato, nascitur legi, quæ non potest non eum, ut filium iræ, damnare. Postquam autem mortuus est legi per legem, ut legem peccati; per eandem legem, quæ Christum sponforem coegit sibi satisfacere, ut legem Domini pro ipso mortui, vivificatur. (ee) Si enim Christus, ut Mediator N. T. acquisivit sibi populum & hæreditatem, quam sibi postulandi jus habet; (ff) necesse est eos, pro quibus crucifixus & mortuus est, & qui in ipso mortui sunt legi, propter justitiam Christi excitari ex mortuis & habere vitam, quæ non procedat a parentibus (hæc enim vita nos subicit legi) sed a solo Deo, tum ut *jusso judice*, qui non potest non agnoscere justitiam Filii, & credentem in ipsum justificare; tum ut *jus habente*, quia per Filium facti sumus ipsius Dei hæreditas. (gg) Apostolus hoc in altera phrasi sic enunciat: *Vivo autem non amplius ego, sed CHRISTUS in me vivit.* Hisce verbis, ait Gregorius Nyssenus, (hh) tantum non clamat Apostolus: *nullum in se affectum humanum vivere: non fastum, non timiditatem, non voluptatem, non dolorem, non iram, non metum, non audaciam; non inju-*

(cc) Rom. VI, 6. (dd) Conf. Luc. XX, 38. Rom. VI, 10. VII, 4. XIV, 7. 8. 2. Cor. V, 15. (ee) Rom. IX, 3. 4. (ff) Ps. II, 8. (gg) Act. XX, 28. Apoc. XIV, 4. (hh) Hom. XV. in Cantic.

155

injuriarum memoriam, non invidiam, non v. indicta, avaritiæ, honoris, aut gloriæ cupidinem; sed his omnibus abrais, SOLUS ille mihi superest, qui nihil est horum, qui est ipsa Sanctificatio, & Puritas, & Immortalitas, & Lumen, & Veritas. Nempe non est idem Homo, in quo CHRISTUS VIVIT! non quod substantiam aliam adquisiverit, & veterem perdidit, aut etiam vitam animæ suæ amiserit, sed quod acceperit CHRISTUM in se habitantem per fidem, (ii) & ipsius membrum factus ejus vita vivat. Qui enim Spiritum S. accipiunt, illi accipiunt Spiritum vite, quæ est in Christo. (kk) Plus est ergo quod dicit Paulus: CHRISTUM in se vivere, quam quod Crellius Socinista dicit: Christum se regere & gubernare: & quidem ut eo ipso non intelligatur ἐπέγεια Christi, sed voluntas hominis. Addit enim: ex hujus voluntate mores meos & omnem vitam compono. Imo hic non significatur obedientia, aut virtus, vel affectus Pauli erga Christum, sed Christi præsentis ac intimæ uniti efficacia in Paulo: CHRISTI inquam, ut Spiritum suum, vi unionis mysticæ ipsi communicantis, & eum corporis sui membrum facientis, ut non extra Christum censi possit. Quomodo nos in Christo, & Christus in nobis vivit. Nos in Christo vivimus, credendo in eum ut donum, & ad exemplum ipsius bene operando; Christus autem in nobis vivit, animando nos per fidem & ad bona opera vegetando. Dum autem CHRISTUS in nobis vivit: Ipse, ut Gregorius M. post Augustinum loquitur, (ll) cathedram in cælo habens intus in corde docet, concionatur, orat, laborat, patitur, conspiciendum se magis exhibet homini, sive manifestat, (mm) habitat ac manet in illo (nn) imo regnat. (oo) Tunc autem regnat in nobis, quando nos ab operibus nostris feriatis inhabitat: & in Sabbatho suo per nos sanctificato ipse in nobis manens facit omnia opera nostra: (pp) ita ut Homo credens in Christum, & vicissim Christus in hominem fidelem transformatus esse videatur. Talis enim quisque nostrum est, qualis est ejus dilectio: terram diligis, terra eris; Deum diligis, Deus eris. (qq) Amor quippe transformat amantem in rem amatam, non secus ac impii facti esse dicuntur abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. (rr) Homo, in quo CHRISTUS manet, multos profert fructus. Mane-

te in

(ii) Eph. III, 17. (kk) Rom. IIX, 2. (ll) Hom. XXX. ad Job. XIV, 26. (mm) Job. XIV, 21. (nn) Eph. III, 17. 1. Joh. II, 14. (oo) Col. III, 15. (pp) Verba sunt Lutheri a Varenio in notis ad Arndtii L. III. de C. V. c. II. f. 742. edit. Lips. 1702. allegata. (qq) Augustinus Tract. II. in 1. Joh. Epist. (rr) Os. IX, 10.

te in me, Christus ait, (ss) *Ego in vobis.* Sicut palme non potest fructum a semetipso ferre, nisi manserit in vite; ita nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me *EGO IN EO*, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Homo, in quo CHRISTUS vivit, clariorem percipit lucem peccata sua agnoscendi: majorem impetum serio proficiendi in bono: sensibilem voluntatem in exercitiis spiritualibus: magis distinctam in mysteriis salutis nostrae cognitionem: interiorum sensum atque confirmationem amoris Dei & Christi. Unde Paulus: (tt) *Probate Vos ipsos, an JESUS CHRISTUS in Vobis sit?* Hic in fidelium Cordibus opus suum perficit per internas suggestiones ac inspirationes. Quemadmodum Homo fidelis Diaboli suggestiones ac inspirationes nolens volens audit: ita vicissim divinas consolationes in se sentit, quas Christus in nobis eloquitur. Notanter Taulerus: (uu) *Sciendum est Verbum Patris aeternum adeo propinquum esse intus ac in fundo cordis, ut non ipse homo suaque natura & cogitatio, non denique quodcunque dici aut excogitari potest, intimior, familiarior, atque penitior illi sit.* Atque hoc internum Verbum indefinenter loquitur in homine. Quo respicit Apostolus, (xx) *An experimentum*, inquit, *quaritis ejus, qui IN ME loquitur CHRISTUS.* Porro ubicunque Christus vivit, regnat, & operatur, ibi mera Pax est. Regnum enim Dei & justitia, & pax est, & gaudium in Spiritu S. (yy) Quantum vero, quamque illustre ac jucundum hoc est, summum & preciosissimum nostrum thesaurum, puta Regnum Dei, non aliquod externum, sed internum Bonum, & *INTRA NOS ESSE*: (zz) illudque nos assidue nobiscum ferre, nec eripi nobis posse, utpote coram toto mundo, atque adeo ipso Diabolo absconditum, imo ad illius possessionem non multis artibus, linguis, & libris, sed tantum corde Deo devoto atque consecrato nos opus habere. (a) Fidelibus denique jugum Christi suave est, quia CHRISTUS IN IPSIS EST, & ipse in iis jugum suum portat. Hic, inquam, onus suum leve in illis facit, dum istud in ipsis fert, ac ipsi vicissim in illo ferunt. (b) Atque hinc iterum Paulus ait: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* (*) Hujus Vitae spiritualis, qua Christus in nobis vivit, *ORGANUM* est Fides: *Quod autem nunc vivit*, inquit Apostolus?

B

FIDE

(ss) Job. XV, 4. 5. (tt) 2. Cor. XIII, 5. (uu) Ap. Jo. Arndtium L. III. de V. C. c. XV. f. 71. (xx) 2. Cor. XIII, 3. (yy) Rom. XIV, 17. (zz) Luc. XVII, 21. (a) Arndtius in Praef. ad L. III. de V. C. (b) Idem L. III. c. XII. f. 69. (*) Phil. IV, 13.

123

FIDE vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Fidem hic describit ab objecto, quod est Filius Dei unigenitus & proprius, de quo Pater testatus est, (c) isque non ut *ἀσθεν*, qualis ab aeterno fuit, sed ut *ἐσθεν*, qualis esse coepit in temporis plenitudine per naturam nostram in infinitam suam hypostasim assumptionem. In hujus fide vivit homo credens, dum animam suam ipsi committit, eidem confidit ac in illo securus adquiescit. Is enim est Dominus & Auctor vitae nostrae spiritualis. Non possumus ergo pudeseri, si eo innitatur. **MOTIVUM** seu **CAUSA**, cur vitam, quam nunc regniti & justificati vivimus, per fidem Filii Dei vivamus, consistit in duobus actibus, quorum unus *interior*, ardentissima nostri dilectio; alter *exterior*, traditio sui ipsius pro nobis: ex quo apparet amoris sinceritas & magnitudo. *Hac Fides non est otiosa cogitatio, sed talis operatio, qua nos a morte liberat, & novam vitam in cordibus parit, & est opus Spiritus S. nec stat cum peccato mortali, sed tantisper, dum adest, bonos fructus parit.* (d) Medium doctrinae ex parte Dei sunt **VERBUM** & **SACRAMENTA**. Ut enim Deus nos regniti ad vitam Spiritualem per *Evangelium*, ut *Sermonem viventem ac manentem in aeternum*; (e) sic **BAPTISMO** omnem vim & efficaciam mortis & resurrectionis Christi indidit, ut ei *consepulsi per Baptismum in mortem, per eundem etiam cum ipso resuscitati in nova vita ambulemus*; (f) in Sacramento **EUCCHARISTIAE** vero ad manducandum nobis exhibet *Panem illum vitam, qui e caelo descendit, nempe Carnem Christi, quam ipse dedit pro mundi vita.* (g) Sine cujus manducatione, quae semper cum bibitione sanguinis ejus debet esse conjuncta, *non habebimus vitam IN NOBIS.* (h) *Qui vero edit carnem meam, Christus ait, ac bibit sanguinem meum, jam habet vitam aeternam.* (i) **CHRISTUS** enim in ipso vivens est *verus Deus & vita aeterna.* (k) Item: *Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum* (in S. Coena, non tantum ore corporis, sed & fidei) *in me manet,* (l) ac consequenter **EGO IN ILLO**. Ad quae & praecedentia verba Cyrillus: *Quoniam Salvatoris Caro verbo Dei, quod naturaliter vita est, conjuncta, vivifica effecta est, quando eam comedimus, tunc vitam habemus IN NOBIS, illi*

(c) Job. III, 16. 18. Rom. IX, 32. Ps. II, 7. (d) Ita pii Majores in Apol. A. C. de Justif. f. 71. Conf. Form. Conc. in Solid. Declar. Art. IV. de B. O. f. 701. (e) 1. Pet. I, 23. Conf. 2. Tim. I, 10. (f) Rom. VI, 3. 4. Col. II, 12. (g) Job. VI, 35. 51. (h) Ib. 9. 53. (i) Ib. 9. 54. (k) 1. Job. V, 20. (l) Job. VI, 56.

carni conjuncti, quæ VITA effecta est. (m) SIGNUM vero & indicium infallibile, quod CHRISTUS in nobis vivat, est Ambulatio in nova vita, sive Observatio præceptorum Christi: *Nam qui observat ejus præcepta, in illo manet, ac IPSE IN EO: & PER HOC NOVIMUS eum habitare* (seu vivere) *IN NOBIS, nempe ex Spiritu, quem nobis dedit.* (n) Ubicunque enim Spiritus Dei est ac manet, ibi revera est ac manet CHRISTUS: cum Spiritus Dei ipse Deus sit ac Spiritus Christi. (o) Quisquis ergo adhuc vivit mundo, Satanae & carni, atque abalienatus est a vita Dei, (p) is resurrectionis & vitæ spiritualis nondum est particeps. Qui nondum spiritualiter resurrexit, adhuc mortuus est in peccatis suis: quomodo vero hic fructuum Resurrectionis Dominicæ particeps dici potest? *Christus ideo PRO omnibus mortuus est & resurrexit: ut qui vivunt, non amplius sibi vivant, sed illi, qui pro ipsis mortuus est ac resurrexit.* (q) Quotquot ergo nondum vivunt Christo, in illis Resurrectio Christi nondum assecuta est suum finem & fructum, quia resurrectionis ac vitæ illius spiritualis, Christi resurrectio non tantum est exemplar, sed etiam causa & principium. Graviter Origenes: (r) *Si surreximus cum Christo, qui est justitia, & in novitate vitæ ambulamur, & secundum justitiam vivimus, surrexit NOBIS Christus ad justificationem nostram. Si vero nondum deposuimus veterem hominem cum actibus suis, sed in injustitia vivimus, audeo dicere, quod nondum surrexit NOBIS Christus ad justificationem nostram, nec traditus est propter peccata nostra. Si enim hoc credo, quomodo illud amo, pro quo ille pertulit mortem? Si hoc credo, quod ille ad justificationem meam surrexit, quomodo injustitia placet? Justificat ergo Christus eos tantummodo, qui novam vitam exemplo resurrectionis ipsius susceperunt, & vetusta injustitia atque iniquitatis rudimenta, velut causam mortis abjiciunt.* Huc pertinent verba Lutheri, dignissima quæ hisce Origenianis subjiciantur: *So ihr nun / scribit, (s) die Auferstehung Christi mit dem Glauben gefasset / und derselben Krafft und Trost empfangen habt / und also mit ihm auferstanden seyd / so muß sich ja solches an euch beweisen / daß ihres fühlet / und bey euch gespühret werde / wer es in euch angefangen*

B 2

(m) *Apud Henr. Varenium in Vindic. Jo. Arndtii P. II. f. 470.* (n) *1. Joh. III, 24.*
 (o) *Act. V, 3. 4. 1. Pet. I, 11.* (p) *Eph. IV, 18.* (q) *2. Cor. V, 15.* (r)
Lib. IV. in Epist. ad Rom. c. IV, 25. Tom. II. Opp. edit. Froben. an. 1557. f. 607.
 (s) *Postill. Eccl. Part. II. Frr. IV. Pasch. ad Col. III, 1. seqq. edit. VViteb. 1544. f. 27.*

fangen habe zu wirken: daß es nicht allein Wort/ sondern Wahrheit und Leben sey. Denn welche es nicht also empfinden / denen ist Christus noch nicht auferstanden / ob er wohl für seine Person auferstanden ist/ denn sie haben dieselbe Krafft nicht bey ihnen/ (welche heist mit Christo auferstehen) daß sie auch mit der Wahrheit mögen heißen beyde verstorbene und auferstandene Menschen / darum will Paulus uns hiermit zeigen und lehren / daß die Christen seyn wollen / wissen sollen / daß solches in ihnen geschehen müsse oder sind noch nicht gläubige Christen/ wie sie sich rühmen oder dünken lassen/ denn das soll die Probe desselben seyn/ ob wir mit Christo auferstanden / das ist/ ob seine Auferstehung in Uns kräftig/ oder allein Wort / und nicht auch Werk und Leben sey &c. Et paulo post: (t) Wer noch nach seinen fleischlichen Wesen trachtet/ und damit umgehet / der ist noch nicht mit Christo der Welt abgestorben / darum auch die Auferstehung Jesu Christi nichts an ihm ist noch wircket/ sondern Christus ist ihm todt und nichts / und er wiederum Christo. Porro: (u) Wilt du nun dich dieser Predigt recht rühmen / daß Christus durch dein Sterben und Auferstehung dir geholfen habe / so mußt du nicht in denen alten sündlichen Wesen bleiben / sondern eine neue Haut anziehen. Denn sein Sterben und Auferstehen ist darum geschehen / daß du auch endlich mit ihm der Welt absterbest / und seiner Auferstehung gleich werdest/ das ist / ein neuer Mensch anfangest zu werden / wie er ist droben im Himmel. Plura hanc in rem edisserere nunc prohibet chartæ angustia, alioque nos vocat Oratio de SOLIS JUSTITIÆ ORTU MIRABILI IN OCCASU, ejusque Veritate ac excellentia, adversus Atheos & Socinitas vindicata, quam crastina luce, circa horam meridianam, e Suggestu templi Paulini recitabit Humanissimus atque Præstantissimus Juvenis DN. M. MAURICIUS CAROLUS CHRISTIANUS WOOG, Damiensis Saxo, Theologiæ studio addictus. Ad hunc cum devota attentione ac pia meditatione audiendum, prædicto loco ac tempore, ut una nobiscum convenire haut graventur UTRIUSQUE REIPUBLICÆ PROCERES, nec non Cives nostri reliqui, verbis humanissimis rogamus. Faxit DEUS, ut unusquisque nostrum cum B. Augustino, (x) ut omni, sic maxime hoc Festivali tempore, sincero cordis affectu intra se dicat: O Domine JESU, placeat tibi mecum pactum inire, ut ego funditus mihi moriar, & tu IN ME VIVAS; Ego plane intra me taceam, & tu contra in me loquaris; ego denique ab omnibus intra me feriar, ut tu in me opereris! P. P. iplis Vigiliis Paschatos, III. Idus April. An. c. 1500.

(t) Ib. f. 28. a. (u) f. 28. b. (x) Ap. Arndium L. III. de V. C. cap. II. fol. 16. edit. Lat. Lüneb.

Literis FLEISCHERIANIS.

61 C 2

10-18

